

111964

I-156

IMPERATORIS  
*JUSTINIANI*  
INSTITUTIONUM  
LIBRI QUATUOR.

*Adjecti sunt ex Digestis Tituli de verborum  
significatione , & de Regulis  
Juris*

Cum Indice ad eosdem.



*Superiorum permissu,*  
MATRITI M.DCC.LXXII.

---

In Regia Typographia , vulgò de la  
Gazeta.

# PROŒMIUM.

## De Confirmatione Institutionum.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

IMPERATOR *Cesar Flavius Justinianus, Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, Pius, Felix, Inclytus, victor, ac triumphator semper Augustus, cupida legum juventuri.* (S. D.)

**I**MPERATORIAM Majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam: ut utrumque tempus, & bellorum, & pacis, recte possit gubernari: & princeps Romanus non solum in hostilibus præliis victor existat, sed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat: & fiat tam juris religiosissimus, quàm victis hostibus triumphator (magnificus.)

1 ¶ Quorum utramque viam cum summis vigiliis, summaque providentia, annuente Deo, perfecimus. Et bellicos quidem sudores nostros barbaricæ gentes sub juga nostra redactæ cognoscunt: & tam Africa, quàm aliæ innumeræ provinciæ, post tanta temporum spatia nostris victoriis à Cœlesti Numine præstitis, iterum ditioni Romanæ, nostroque additæ imperio, protestantur. Omnes vero populi legibus tam à nobis promulgatis, quàm compositis, reguntur.

2 ¶ Et cum sacratissimas constitutiones, antea confusas, in luculentam ereximus consonantiam: tunc nostram extendimus curam ad immensa veteris prudentiæ volumina: & opus desperatum, quasi per medium profundum euntes, cœlesti favore jam adimplevimus.

3 ¶ Cumque hoc, Deo propitio, peractum est, Triboniano viro magnifico, magistro, & exquæstore sacri palatii nostri, (& exconsule) necnon Theophilo, & Dorotheo, viris illustribus, antecessoribus (quorum

INSTITUTIONUM,  
SEU ELEMENTORUM  
*JUSTINIANI*

Sacratissimi Principis

*LIBER PRIMUS.*

DE JUSTITIA, ET JURE.

*TITULUS PRIMUS.*



*JUSTITIA est constans, & perpetua  
voluntas jus suum cuique tribuendi.*

1 ¶ *Jurisprudencia est divinarum,  
atque humanarum rerum notitia, justis,  
atque injustis scientia.*

2 ¶ *His igitur generaliter cognitis,  
& incipientibus nobis exponere jura*

populi Romani, ita videntur posse tradi commodis-  
sime, si primò levi, ac simplici via, post deinde  
diligentissima, atque exactissima interpretatione, sin-  
gula tradantur; alioqui si statim ab initio rudem adhuc,  
& infirmum animum studiosi multitudine ac varie-  
tate rerum oneraverimus, duorum alterum, aut deser-  
torem studiorum efficiemus, aut cum magno labore,  
sæpe etiam cum diffidentia (quæ plerumque juvenes  
avertit) serius ad id perducemus, ad quod leviorē  
via ductus, sine magno labore, & sine ulla diffiden-  
tia, maturius perducī potuisset.